

## PROPOSITIO TERTIA.

*Affertio Episcopi est manifeste falsa, & Pelagianismum redolet.*

§. XIII. Probatum prima pars: illa opinio est manifestissime falsa, quæ Baptismi Sacramentum neque necessarium, neque præceptum esse statuit contra Evangelicam veritatem, & perpetuam Ecclesiæ Traditionem, *prop. I. & II.* late probatam; id autem opinatur *Episcopus* (c. II. §. VII.); ergo illius opinio est manifestissime falsa. Secunda pars demonstratur. *Pelagiani* a Regno quidem Dei exules fore parvulos, sine Baptismo decedentes fatebantur, non tamen ab aliqua æterna vita & felicitate: idem porro commentum Pelagianorum adoptat *Episcopus*, aliquem beatitudinis gradum parvulis sine Baptismo decedentibus tribuens; ergo *Episcopi* assertio purum putum Pelagianismum redolet.

## SCHOLIUM I.

Quod *S. Augustinus* *serm. 14. de verbis Apostoli c. 3.* de Pelagii dicebat errore, idem prorsus de commentitia gloria, quam infantibus sine Baptismo morientibus promittit *Simon Episcopus* dicere possumus. *Hoc novum in Ecclesia, prius inauditum est, esse vitam æternam præter Regnum Cælorum, esse salutem æternam præter Regnum Dei . . . Venturus est Dominus, & judicaturus de vivis & mortuis, sicut Evangelium loquitur: duas partes facturum est, dexteram, & sinistram; sinistris dicturus est: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus. Dextris dicturus: Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine Mundi. Hanc Regnum nominat, illam, cum diabolo damnationem. Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes. De vivis, & mortuis judicabitur: alii erunt ad dexteram, alii ad sinistram: non novi aliud.* Hactenus *S. Doctor*. Jam præter hæc *Divi Augustini*, sic *Episcopium* refellere possumus. Si infantes ex hac vita sine Baptismo migrantes, originali culpæ obnoxios credit *Episcopus*,